



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies octavus et nonus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1865 [erschienen] 1866

De S. Baractale Martyre Spoleti In Umbria Anacæphaleosis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72229)

ACROSE
J. B.

mum a Marcellino et Genuino separat: Diodori, Septimi. . . . Alibi Afræ, Priminæ. Romæ Marcellini et Genuini martyrum. *Additiones denique Adonianæ ita habent apud Mosandrum*: Romæ Marcellini et Genuini, et inter duas Lauros S. Priminæ. *Notitiam loci inter duas Lauros dicti subministrant Acta SS. Marcellini et Petri martyrum, sub Diocletiano interemptorum tom. i Junii pag. 173 sequentibus verbis*: Quorum corpora, beatissimorum scilicet Marcellini presbyteri et Petri exorcistæ martyrum, collegit Lucilla, et posuit in vehiculo noctu, et adduxit via Laticana milliario ab Urbe tertio; et Anastasius Bibliothecarius in *Vita S. Silvestri Papæ ita scribens*:

Iisdem temporibus Augustus Constantinus fecit D basilicam beatissimis martyribus Marcellino presbytero et Petro exorcistæ inter duas Lauros. . . . via Laticana milliario ab urbe tertio. *Lucilla socia fuit Firmina quedam, Christianissima, ut eam illorum Martyrum Acta vocant, femina, quæ juxta Martyrum illorum exuvias sibi domicilium fixit, ac ibidem martyrium, sepulturam, cultumve sacrum consequi potuit, ac eadem fuisse, quæ hodie inter duas Lauros in laterculis Hieronymianis annuntiat: verum cum hujus nomen per litteram P constanter exprimitur, ab hac mutatione abstinendum una cum Florentino reor.*

DE S. BARACTALE MARTYRE

SPOLETI IN UMBRIA

ANACEPHALEOSIS

B

SECULO INCERTO.
Viz quidquam de hoc sancto Martyre

Pauca admodum de S. Baractale dicturi sumus: quidquid de illius ætate, conditione, gestisque, qui de rebus Sanctivse Spoletanis egerunt, recentioris ævi scriptores litteris mandarunt, plane incertum est. Fuisse fertur e duodenario Sanctorum numero, qui, Anastasio duce, e Syria in Italiam appulsi dicuntur. Horum Acta, erroribus referta, sibi que pugnantia, ac proin fidei pretiõe nullius, edidit discussitque Conradus Janningus in *Tractatu præliminari ad tom. i Julii, in quibus præter nomen, quod ad S. Baractalem speciatim spectat, reperias nihil. Jacobillus tamen tom. 2 de Sanctis Umbriæ S. Baractalem satis belle describit, sed ex documentis nihilo melioribus; Ferrarius, Jacobillo fere consonans, compendiosam S. Baractalis historiam tradit hujusmodi.*

certum,

2 Baractalis Antiochenus una cum Anastasio patruo, Britio et Eutychio sobrinis, ac Joanne, Isacio, Carpophoro, Abundio, Teudila, Laurentio, Proculo, et Herculano fratribus Romanam venit, inde Narniam. Proculo autem et Eutychio alio profectis, Anastasio Romæ defuncto, cum aliis Spoletium contendit: ubi Britio tamquam seniore episcopo ordinato, aliisque jussu Marciani præsidis sub Diocletiano et Maximiano (id alii sub Domitiano, alii sub Ju-

liano factum aiunt) carcere inclusis, illis Baractalis natus minimus, qui ob aspectus et morum elegantiam etiam gentilibus charus erat, libere ministrabat; cumque ipsos gentiles ad Christianam fidem hortaretur, blandisque verbis illorum vitia argueret, adolescentum quorundam grave in se odium concitavit, qui illum ad sepulchrum T. Gregorii martyris (Spoletani) sæpissime orantem apud præsidem deferunt. Baractalis itaque ad præsidem perductus, seque Christianum libere professus, cum nullis minis aut terroribus adduci posset, ut deos veneraretur, ductus extra urbem apud sepulchrum prædictum capite truncatur VII Idus Octobris. Cujus corpus a Christianis ibidem sepultum est.

3 Hæc de Baractale Ferrarius; quæ, quamvis incerta plane esse dicamus, absit tamen, ut S. Baractalis sanctitatem in dubium vocemus, quippe qui et miraculis claruerit, cultumque sacrum in diocesi Spoletana, et ecclesiam suo et S. Gregorii nomini dedicatam jam pridem habuerit, uti apud laudatum Janningum cap. x, ubi de S. Baractale seorsum agit, videre est. Speraverat ille, fore, ut ad hunc diem plura de S. Baractale fortassis dicenda haberemus; verum, quod superaddi ejus dictis posset, a nobis quæsitum est frustra.

E

præter ejus cultum.

F



DE